

1563. 21. Sept.

191
E. Epist. Sig. Aug. impr. Lipsiae.

Turcarum Imperatori.

Ad postulatum Imperatoris, ut civem Leopoli-
ensem ad debitum subdito ejus restituendum adie-
gat, Rex respondet, se ex legibus tantum imperare,
eoque non iustitio legitimo iudicio civem cogi
non posse, nihilominus de voluntate sua cer-
tum eum facit, et mercatori in Moscoviam pro-
fecturo litteras passus concedit.

Sigismundus Augustus &c. Serenissimo ac
Potentissimo Principi Domino Sultan Saliz-
man Strach, Dei gratia &c. Domino fratri,
amico et vicino nostro charissimo salutem et
omnis felicitatis continuum incrementum. Seve-
rissime ac Potentissime Princeps &c. Ace-
piimus litteras Serenitatis Vestrae, quibus ad
nos scribit, ut quatuor millia et quingenta
florenorum, quot subdito Serenitatis Vestrae
Mustaphae Cebdi debentur, a civi nostro Le-
opoliensi solvi quam primum ac reddi jube-
amus. Quod quidem nos non solum propter
pacta et foedera communia, quae nobis cum Se-
renitate Vestra intercedunt, neque solum propter
eam benevolentiam, qua Serenitatem Vestram
prosequimur, sed etiam ob ipsum officium no-
strum facere parati sumus, dummodo id debi-
tum legitima apud iudicium aliquod iustitu-
ta actione repetitum ab eo debitore fuerit. Nos
eum quemadmodum subditis nostris et legi-
bus tantum imperamus, ita proter leges nul-

lam

1563

lam in eos potestatem obvenimus, nec solutio:
nem alicujus debiti imperare unquam possumus,
nisi antea legitimo iudicio convincatur.
Dedimus tamen ad Magistratus civitatis Leo:
poliensis mandati nostri litteras, ut de ea re
justitiam sine mora administrant subdito huic
Serenitatis Vestrae, quod non dubitavimus es:
se facturos. Quod si ad nos causa per appel:
lationem devoluta fuerit, tam nos quidem sub:
dito huic Serenitatis Vestrae non minus quam
nostris ipsorum subditis propriis justitiam ad:
ministrabimus, quantum maxime jus & equi:
tas patietur, id quod volumus, ut sibi Se:
renitas Vestra de nobis certo polliceatur. Quod
autem per alteras litteras Serenitas Vestra a
nobis postulat, ut Mercatori Serenitatis Ve:
strae, qui in Moscoviam in negotiis Sere:
nitatis Vestrae profectus est, de litteris pas:
sus provideri jubeamus; id quidem libenter
fecimus, litterasque eas diligenter scriptas ex:
trahi jussimus, quibus illi tutum ac secu:
rum iter cum omnibus equis, sarinis, cur:
ribus, famulis denique ipsius patere per
Regnum & ditiones nostras volumus, & si
quid praeterea est, in quo Serenitati Vestra
gratificari possumus, omnia non gravatim
sumus facturi. Serenitatem Vestram bene
valere, omni que felicitate cumulari opta:
vimus. Datum Vigesima Prima Septem:
bris.